

*H. M. II, 351.  
h. 68, 12.*

DISSERTATIO JVRIDICA

DE

REFERENTE

JVRAMENTVM

IN TERMINO JVRATORIO

NON COMPARENTE

QVAM

CONSENSV

ILLVSTRIS JCTORVM ORDINIS

IN

ACADEMIA LIPSIENSI

PRAESIDE

D. GEORG. ANDR. JOACHIMO

D. XXX. JVN. M DCC XXIX.

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI

SUBMITIT

AVTOR ET RESPONDENS

FRIDERICVS Gottlieb RICHTERVS

FREYB. MISN.

---

LIPSIAE  
LITERIS TITIANIS.

22

II/k  
3662

DISSESSATI O JAHIDICA

26

RENNITE

MULTUM MARYC

OMNIA TANQUAM ARGO

NON COMPTA VIRTUTE

UNIVERSITATIS LIBRARII GERMANYENSIS



D. GEORG. ANDRI. JOVCHIMO

PICTO QVADRIVM PRAEFATI

NOBILISSIMO PEREXIMIEQUE  
D O C T O  
RESPONDENTI SVO

S. P. D.

P R A E S E S .

**H**ic nos penes, qui hodie *Dissertationes in*  
*Actorum Acroaterio defendunt, moris est,* se ipsos saepe numero, quid,  
quod plerumque *AUTORES illarum venditare.* Non jam disqui-  
ram, quo jure illud fiat, cum sane por-  
tentosa thematum difficillimorum elab-  
oratio, longe aliam exposcere videatur indu-  
strial, quam ab illis, qui vix triennium studio  
*Juris impenderunt, expectari potest.* Quæ-  
cunque tamen ea sint, de *TE VIR VVENE-*  
*NIS NOBILISSIME*, ut longe aliud sen-  
tiat

tiat Orbis literatus, velim, quem non propterea,  
quod dolosi spes refulserit numini, sed quod ipsa  
res ita se habeat, autorem ejus, quam TIBI  
nunc reddo, dissertationis jure meritoque com-  
pello. Cuncti enim, qui TE norunt quique  
TVO consortio in frequentandis Lectionibus  
meis usi sunt, ingenue testabuntur, humeros  
TVOS longe gravioribus quam huic specimini  
Academico, esse pares. Ego ipse TVAM in  
theoreticis industriad, habilitatem & alacrita-  
tem in applicanda ad praxin theoria, non satis  
deprædicare valeo, & si valerem, TVA tamen  
modestia, encomia hæc merito TIBI competen-  
tia detrectaret. Nihil ergo ulterius, hæc ad  
confirmanda, addam, ipse conflictus, præclarissi-  
marum, quibus ornatus es dotium, locupletissi-  
mus erit testis. Si tamen mea ex parte quic-  
quam annexendum esse videatur, amicissimum  
pietissimumque votum erit. Concedat Summum  
Numen, ut quos tanto cum augmento in Juris  
scientia fecisti progressus, promerita eademque  
lautissima maneant præmia. Sic spem patriæ,  
patris & familie dulcissimam, quam de TE con-  
ceperunt exuberantissime adimplebis. Vale & me  
amare perge.





## CONSP ECT V S.

- §. I. Delationem juramento-  
rum in foro frequentem esse,  
asseritur. Divisio jura-  
menti delationis in judicia-  
lem & extrajudicialem re-  
censetur. Utriusque adji-  
citur Definitio.
- §. II. Differentiae quædam in-  
ter juramentum judiciale  
& extra judiciale, præ-  
cipue intuitu relationis pro-  
feruntur.
- §. III. Officium Judicis & par-  
tium circa juramentum re-  
latum, una cum Transi-  
tione ad questionem ventilan-  
dam propónitur.
- §. IV. Verbum, Deferre & Re-  
ferre it. Referens & Re-  
latus it.
- §. V. Juramentum, explicatur,  
nec non quid sibi velit: præ-  
statum & desertum, additur.
- §. VI. Relato vel Referente  
in termino juratorio ema-  
nente, quid juris sit, edisse-  
ritur, & varie Doctorum  
opiniones circa hanc que-  
stionem enumerantur.
- §. VII. Eorum sententia, qui re-  
ferente emanente juramen-  
tum pro præstito haberi, au-  
tumant, præcipue Carpzo-  
vii, commemorantur ejusque  
ipsa verba inseruntur.
- §. VIII. Nicolai verba subjun-  
guntur.
- §. IX.-XII. Nervus Rationum  
Carpzovii ponderatur &  
refutatur.
- §. XIII.

- §. XIII-XV. Rationes Nicolai singulatim expenduntur & confutantur.
- §. XVI-XIX. In aliorum de nostra questione sententiam inquiritur.
- §. XIX. Illustr. Gribneri & Krausii Opinio de questione controversa laudatur & defenditur, primo, quia nullum a referente in termino juratorio factum expectandum.
- §. XX. Objicitur 1) quod plerumque in termino juratorio tentetur de novo amicabilis Compositio, que utriusque persona præsentiam requireret. 2) quod formula Juramenti in termino partibus communicetur, ut si quid contra illam monendum habeant, declarare queant, & ad utrumque respondetur.
- §. XXI. Secundo defenditur, quia si Juramentum pro pretorio baberi debeat, hoc fiat loco poenae, contumaciam pre-supponentis, quam tamen in Referente non adesse adstruitur.
- §. XXII. Tertio hanc Sententiam Juribus Saxoniciis consentaneam esse assertur, argumento desumto a juremento Suppletorio ad relatum.
- §. XXIII. Solvitur Objectio 1) fundata in differentia suppletorii & relati Juramenti.
- §. XXIV. Diluitur Objectio 2) a paritate referentis & referentis.
- §. XXV. Refellitur Objectio 3) generalitati textus L. R. L. 2. art. II innixa.
- §. XXVI. Sequuntur duo monita in decisione questionis attendenda 1) an totum Juramentum quod delatum erat, relatum iterum fuerit, vel ejus tantum pars 2) idem esse, an reus actori retulerit juramentum, an vero actor reo.
- §. XXVII. Concluditur, hanc posteriorem opinionem præ ceteris, juribus & equitati magis esse conformem, licet prior huc usque usu fori recepta fuerit.

§. I.





### §. I.



Ta sane cum juramentorum delationibus esse comparatum, ut partibus de potiori jure contendentibus, aliis probandi modis deficientibus, ad illas detur recursus, experientia, fida, rerum etiam quæ in praxi occurunt, magistra, abundantissime confirmat. Varia tamen earundem est facies, ac imprimitis probe secernenda ab invicem sunt, quæ communi ex sententia judiciales pariter atque extrajudiciales compellantur, quas inter non solum maxima omnino intercedit differentia, verum etiam, quæ famosissimæ, juramenti in voluntarium & judiciale divisioni respondere videtur. Ad extrajudicialem quod attinet delationem, eam esse actum, quo pars extra iudicium sine autoritate ac approbatione judicis, negotii cuiusdam transfigendi causa rem controversam alterius partis conscientiæ relinquit, ut ab ejus jurejurando totius controversiæ finis dependeat, collatis invicem l. 3. pr. l. 17. pr. l. 28. §. ult. l. maximum l. l. jusjurandum 2. ff. d. Jurejur. est in confessio. add. DVAREN. in Comm. ad Tit. ff. de Jurejur. C. 26. Delato hac ratione juramento, ejus, cui delatum est, voluntati ac arbitrio relinquitur, velit nec ne id ipsum suscipere praestandum, quod occasionem dedit, ut id, de quo jam sermo est, jusjurandum, voluntarii & conventionalis titulo fuerit insignitum. Non plane absque ratione. Profecto enim juramentum immitatur

tatur naturam transactionis. l. 2. ff. de *Jurejur.* at transactionis ea est indeoles, ut ad ipsam ineundam nemo sit cogendus. l. 41. C. de *Transact.* Ord. Proc. Sax. Recogn. Tit. 1. §. 6. Aliter tamen se habet, si juramentum semel sit suscepsum, neque enim illud referre, l. 17. ff. de *Jurejur.* neque a deferente, ut de calumnia juret, exigere conceditur. MENCK. Theor. & Prax. Lib. 12. Tit. 2. §. 27. Ad judicialem juramenti delationem nunc promoveo pedem, quam definiunt: Actum legitimum, quo a parte litigante, res controversa, alterius partis conscientia, in judicio judge approbante l. 12. §. 1. C. de reb. cred. jurejuran-do decidenda l. 1. ff. de *jurejur.* committitur. Hac ipsa jura-menti delatio est, quam praesentem ad scopum pertinentem meani facio.

## §. II.

Et non supervacanea plane est jam allegata delationis juramentorum distinctio. Etenim quamvis quibusdam in passibus invicem convenire haud negem, quam plurimæ longe-que extantiores tamen in promtu sunt discrepantiaz; quibus posterior judicialis nimirum, a priori, scilicet extrajudiciali, sa-tis accurate discernitur. Quo pertinet primo, quod semper judicis precedente autoritate sit peragenda, l. generaliter 12. in princ. vers. omne igitur C. d. *Jurejur.* l. non erit 5. ff. eod. vid. DONELL. L. 24. Comm. 10. n. 3. in fin. deinde, quod hic loci, tempus delationi destinatum a deferente strictissime sit obser-vandum. E. g. ut actor super libello integro aut ejus parte, in ipso statim libello, super replica vero, nisi ea libello fuerit in-serta, adhuc etiam sub articulis probatorialibus, juramenti utatur delatione, est necesse. Ord. Proc. Sax. Recogn. Tit. 18. §. 1. 2. ulterius, quod rite sic delatum juramentum, nisi delatus condemnationem certo certius expectare velit, subeundem sit, aut referendum. l. 34. §. 6. 7. & 9. l. 38. ff. d. *Jurejur.* l. 9. & 12. §. 1. C. de Reb. Cred. & *Jurejur.* l. 25. §. 3. ff. d. probat. DO-NELL. L. 24. Comm. 15. CYNVS ad d. l. generaliter 12. C. b. t.

n. 4. Competit tamen hoc casu delato electio, juramentum vel acceptandi, quod deinceps ab ipso præsente Jur. Sax. Et Ord. Proc. Sax. Tit. 18. §. fin. Jure Civili & Canonico ab ejus quoque Procuratore l. 9. §. penult. l. 23. l. 24. l. 25. ff. d. *Jure-jur.* mandato ad hoc negotium speciali instructo Cap. final. d. *Juram. Calumn. in 6to.* necessario præstandum est: vel conscientiam probationibus defendendi, vel etiam jusjurandum ei, qui detulit, referendi: Ut autem hæc ipsa electio eo magis proficia sit delato, ut in ipsa statim litis contestatione, aut ad minimum ultima in positione suam de electione facta voluntatem declareret, adprime necessarium est, hoc enim prætermisso, Judex de præstanto juramento simpliciter pronuntiare Ord. Proc. Sax. Recogn. Tit. 18. §. 1. jussus, ipsum favoribus alias competentibus penitus excludit. Quæ omnia tamen, cum obiter tantum & fundamenti loco a me fuerint allata, prolixius haud urgebo, sed potius illos, qui juramentorum horum inter se differentias, aliaque circa relationem juramentorum observanda, accuratius nosse discipiunt, ad SETSERVM, NAEVIVM, ANTONIVM de BASSEN eorumque integras de juramentis commentationes, nec non WILDVOGELII, LATTERBACHII Dissertationes de Relat. *Juri:jur.* alegatos volo.

## §. III.

Postquam igitur delatus, quæ jure præscripta, antecedentia que paragrapho pluribus demonstrata sunt, requisitis rite obser-vatis juramentum iterum deferenti retulit, Judex sententia sua eidem præstationem juramenti relati injungit, (quæ si omissa fuerit, idem efficit, ac si juramentum extra judicium fuerit præstatum STRUV. Ex. 17. tb. 52.) ita, ut relatus utrumque & juramentum calumnia, & principale, & quidem ea, qua de- & re-latum forma l. 3. §. fin. l. 33. ff. de *jure:jur.* præstare teneatur, nec conscientiam probationibus defendere Ord. Proc. Sax. Tit. 19. §. *Wann einen in fin. CARPZ. P. I. C. 14. Def. 4.* nec a referente juramentum calumnia exigere jure possit l. 34. §. 7. ff. d.

*Jurejur.* BERGER. *Oecon. Jur. Lib. 4. tit. 25. §. 8. n. 2.* Sed potius judex post rem judicatam, intra octiduum vel ad instantiam partis vel ex officio terminum lege definitum, spatium Saxonum in se continentem, præfigere, & utramque partem rite ad illum observandum citare est obstrictus *Ord. Proc. Sax. Recogn. tit. 18. §. 11nd weil bisanhero.* Hoc in termino partes comparere, & quæ cujusque sint officii, præcise peragere necesse habent, nisi poenam ut juramentum pro diversitate circumstan- tiarum habeatur vel pro præstito, vel pro deserto, velint incurre- re. Qua occasione, satis ambigua, multisque ab utraque parte subnixa argumentis quæstio, celeberrimos inter JCtos agita- tur: *An, si referens in termino juratorio legitime a judge constituto, non comparuerit, juramentum relatum, compa- rente scilicet relato, pro præstito haberit, an vero relatus ni- hilominus rebus sic se habentibus, illud etiam absente refer- rente, actu præstare debeat?* Et cum Doctores fortis non infimæ, uti jam antea monui, diversas foveant hac de quæstione sententias, opera pretium duxi, in præsentia, speci- minis loco academici, plura de hac materia maxime controver- sa, quæ tamen haud exiguum in foro præstat utilitatem, disser- re, & quænam veritati, & juribu's magis videtur consentanea exponere.

## §. IV.

Antequam tamen ulterius progrediar, pedem hic aliquantulum figere, atque in verborum præcipue hac in dissertatione occurrentium explicationem inquirere placet, ne neglectus eo- runderum incertitudines pariter ac obscuritates pariat, quæ velut expansænubes intelligendi vim animo auferant. *Nov. Leon. 42. in princ.* Cum igitur de referente in termino non comparente plura dicendi animus sit, primo, quid sibi velit referre juramen- tum, enodandum erit, hoc vero ut eo melius procedat, explanatio a verbo *deferre*, cui hoc loco respondet, est inchoanda. Inter alios vero, quos habet significatus verbum deferre, duo qui se- quuntur

quuntur, sunt notatu dignissimi, ideoque probe ab invicem separandi. Alio enim sensu in tot. tit. C. d. delatoribus Lib. X. juncta l. 2. pr. ff. de jur. fisci alibique passim, significatu sane priscis autoribus haud infrequenti vid. Cic. pro Caelio C. 31. § 23. (unde criminiū delatores originem traxere, quorum de præmiis & coercitionibus v. Briffon. Antiquit. Röm. L. 3. C. 17.) add. Decian. in prax. Criminal. L. 3. C. 2. n. 3. § 5. aliter a me accipitur, ibi enim deferre ideni est, ac accusare, denunciare, hoc loco vero deferre juramentum nihil aliud est, quam provocare aliquem ad jurandum, dictare jusjurandum, & quasi necessitatem jurandi alicui imponere MARTIN. Proc. tit. 18. §. 1. n. 2. quod in l. 11. § 12. §. 1. C. jurejur. § alibi JCti termino inferre juramentum, inferre sacramentum exprimunt, aliasque dare jusjurandum appellant, vid. MARTIN. d. n. 2. Quibus præmissis eo facilius patescat, quid sibi verbum referre velit; Ut enim alios significatus sicco quod ajunt præterea pede, ubi pro narratione rei gestæ sumitur, uti in l. 2. C. de Naufrag. § in. C. relatio 21. qu. 3. it. pro depositione nuntii usurpatur AYRER. Lib. I. C. 4. Obs. 2. n. 7. GAIL. I. obs. 54. it. quando judex inferior causam ad superiorem mittit, ut ipse, quid pronuntiandum sit, prescribat, utitur JCtus hoc verbo in tit. ff. de Appellat. § Relat. t. t. C. d. relat. hoc loco talen actum denotat, quando quis juramentum, quod sibi delatum est, retro in alterum transfert, quod idem est ac germanicum. Den Eyd zurück schieben. Ab hoc vocabulo descendit vox Referens & Relatus, quæ personas litigantes respicit, sive sint actores, sive Rei l. 34. §. 7. ff. d. Jurejur. & quidem Referens est persona, quæ juramentum sibi judicialiter & legitime delatum, eadem forma alteri parti refert, ut ipsa juret. Relatus vero ille dicitur, qui antea juramentum detulit, ipsique iterum ab altera parte est relatum. Hoc enim in jure & processu quam notissimum deprehenditur, quod partes litigantes pro actibus expediendis variantibus, varias quoque assūmant denominatio-  
nes,

nes, & personæ principali plerumque verbum in præsenti, alteri vero in perfecto applicetur, ita dicitur Appellans, Appellatus, Leuterans, Leuteratus, Producens, Productus.

## §. V.

Verbum *Juramentum*, cum apud omnes, qui saltim juris addidicere rudimenta, jam satis cognitum sit ac perspectum, tribus quasi verbis tantum addo, quod a *Jurando* descendat, hoc vero iterum a *Jure*, ideo, quod id, quod juratur, pro lege & jure habendum, ac tanquam jus sancte & inviolabiliter sit custodiendum, venit. ZÆS. ff. de jurejur. n. 1. Reliquæ enim originationes, quibus *Juramentum*, vel quasi juris adstringamentum, vel a jure mentis, vel jure manente, quia firmum ratumque manere debet, quod juratum est, dicitur, potius videntur allusiones. Alias vocatur *Juramentum JVS JVRANDVM i.e. Jovis jurandum*, per summum enim Deum concipiendum esse *Juramentum Nov. 72. C. 3. adde BECMANN. Orig. Lat. Lingua p. 244. SACRAMENTVM l. 2. §. 3. ff. d. bis qui not. infam. l. 2. §. 6. 7. C. de Juram. propter column. dand. Auth. Sacra- menta puberum*, propterea, quod *Jurisjurandi* sacratione interposita agitur, uti FESTIVS b. vb. ait. add. BASSEN. de *Ju- ramentis*. RELIGIO l. 24. l. 25. ff. de jurej. Non minus & verbi PRÆSTITI fit mentio, quod una cum illo, ubi deser- tum dicitur *Juramentum respicit Juramentum principale*, den. Haupt-Eyd, non vero *Juramentum calumniæ*, aut enim ille, cui principale *Juramentum præstare* incumbit, illud actu præ- stari, aut propter absentiam alterius, qui de calumnia jurare debebat non opus habet jurare, sed habetur *jusjurandum* pro præ- stito, quod, si effectum dispicias, idem est ac si præstiterit *Ju- ramentum*, aut principaliter *Jurans* est contumax, & promissio- nem de *Juramento* præstante deserit, ubi plane non comparet, vel præsens quidem est, ast *Jurare* detrectat, tunc desertum di- citur. Eadem notione hic terminus & alibi accipitur, si quis suo, quod ipsi incumbebat, officio non satisfacit, E. g. si ter- minum

minum probatorium, vel fatalia Leuterationis; Appellationis præterlabi contumax patiatur. Plura huc spectantia vide ri possunt apud SPECKHAN. Cent. 3. Clas. 4. Qu. I. VORST. d. latin. mer. susp. Cap. 22.

### §. VI.

Verborum igitur explicatione peracta sepositaque, nunc ad specialiorem, quæstionis disquisitionem me accingo, ubi primo Relatum, quod concernit, si hic in termino, uti dicitur juratorio non comparuerit, decisio clara est, juramentum enim quod præstare debebat, pro deserto habetur, quod verba Serenissimi satis aperte innuunt Ord. Process. Saxon. Recogn. tit. 18. §. Und weiln bishero ic. verb. Würde nun einer, oder der andere, deme entweder den Eyd vor Gefährde, oder den Haupt-Eyd, oder auch alle beyde zugleich zu schwehren, per Sententiam auferlegt, in Termino nicht erscheinen, soll nach Besinden und Unterscheid der Fälle auf Verfaumniß des Eydes, oder daß dieser pro præstito zu halten, auf vorhergehende Ungehorsams-Beschuldigung des erscheinenden Thei's, erkannt werden. Emanstione enim sua satis aperte in justiam causæ sua detexit altera litigantium pars, quippe quod de calunnia jurare detrectans, frivole litigare non immerito præsumitur, arg. l. iusjurandum 34. §. qui iusjurandum 4. ff. d. Jurejur. l. 9. delata C. d. Reb. Cred. Eo magis igitur, si pars præterea juramentum sibi relatum actu præstare formidaverit, malitiam & temeritatem suam, & quod causam minus justam soveat, abunde prodit, non ergo mirum, quod causa cadat, expensarumque restitutionem, sustinere cogatur, qua non immerito litigantium temeritas coercetur. l. 79. ff. d. Jud. CAR-PZOV. Lib. 3. tit. 5. Resp. 57. nec de injuria sibi illata potest conqueri, cum ipse contumacia sua in culpa sit, & hinc emergens inde damnum sentire non videatur. Sed hæc de relato in termino emanente sufficient. Quid vero si referens in termino non compareat, statuendum? Num scilicet relatum

B

etiam

etiam juramentum pro præstito habendum , an vero adhuc præstandum sit , hoc magis dubium esse videtur : Ut vero in disquisitione quæstionis hujus controversæ , ejusque decisione eo accuratius procedam , ante omnia varias , quæ de ea ipsa JCtos inter dantur sententia , recensere , & in illarum rationes inquirere , dein quid mihi videatur , exponere , animus est , atque ordo dicendorum requirit .

### §. VII.

In tres autem præcipue partes abeunt in componenda hac controversia Doctores , primo enim inveniuntur , qui statuunt , juramentum relatum una cum juramento calumniæ pro præstito haberi non comparente referente , interque eos primas tenet CARPZOVIUS , cuius ut rationes eo melius ponderare ac dijudicare liceat , & ne ei variatione vocum , opinionem , quæ ipsi nunquam in mentem venit , affingere videar , ipsissima ejus verba proferam in medium . Causam vero quam suscepit , defendit *Lib. Respons. 3. Tit. 5. Resp. 51. n. 8. sqq.* verbis ita fluentibus : Reo autem , qui juramentum retulit actori , non comparente in termino jurandi , utrum jusjurandum ab actore præstandum pro præstito tunc sit habendum , non usque adeo expeditum est . Nihil enim videtur obstare , quo minus pro deserto juramentum sit habendum , ceu quod actor ex diffidentia juris sibi competentis renuerit . Nec enim absentia rei ipsum juvare poterit , quippe a quo nihil fuerit expectandum , relato actori jurejurando , una cum juramento calumniæ ab ipso præstando *O. P. S. tit. 18. §. Ferner die Relation vers.* Auf den Fall aber . CHRIST. ZOBEL . *P. I. differ. 24. n. 2.* Sed falso presupponitur adversarium propterea duntaxat citari ad præstationem juramenti , quo ipse prius juret de calumnia . Subest enim adhuc alia ratio , quæ præsentiam adversarii requirit , scilicet , ut videat jura reum vel actorem super causa principali . Ex quo enim juramentum referens victoriam conscientia adversarii committit ,

mittit, hoc ipso non aliter cedere ac de jure suo desistere velle videtur, quam si viderit & audiverit adversarium jurare, sequre justo Dei judicio adstringere, veluti quoque innuit Sanctio Electoral. in *Ord. Proc. Jur. tit. 18.* §. Wein nūr also vers. Dāß sein Gegentheil hierzu in Sächsischer Frist vorgeladen werde ic. Ad videndum jurari scilicet pars adversa citari debet, ut diximus supra *Resp. 46. n. 16.* Cui consequens, Reo intermino jurandi emanente, utrumque tam relatum decisorum, quam calumniajuramentum pro præstito habendum, atque pro actore judicandum fore. Scilicet operatur contumacia rei, ut juramentum remittere actori videatur, arg. *I. si non fuerit 37. ff. d. jurejur.* Et habetur tunc conditio jurandi pro adimplēta, quia per actorem non stetit, qui implere debuit, sed magis per reum *I. 24. I. 81. ff. de cond. & demonstr.* Quam suam sententiam ulterius iisdem tamen rationibus innixus confirmat *Proc. Jud. tit. XI. art. 7. §. 2. n. 21. sqq.*

### S. VIII.

Carpzovium excipit NICOLAI in *Process. Jud. C. 46. n. 1. verb.* Eben diese Gelegenheit hat es, wenn der Part so den Eyd aufnehmen soll, auf vorhergehende Citation und Ladung gar nicht erscheinet; auf den Fall, wenn niemand verhanden, der den Eyd aufnimmt, darf der Eyd auch nicht geleistet werden, sondern wird geacht, als wäre er würtklich geleistet, oder tacite remittiret pex text. express. in *Const. Elef. August. 12.* §. ult. Churfürstl. Sächs. *Proc. Ordnung tit. 18.* §. Nachdem auch vers. Würde aber auch ic. & quia utriusque scilicet juramenti præstici ac pro præstito habitu idem est effectus, & hæc duo æquiparantur, ita ut nil referat, an revera præstitum sit juramentum, vel pro præstito habitum, & in seqq. Weil er aber ungezwifelt, als in seinen eigenen Gewissen überzeuget, denselben expresse erlassen, und nicht annehmen wollen, & cum paria sint juratum vel remissum esse juramentum &c. Sed hæc omnia, quæcunque etiam sint, non ita comparata esse videntur, ut ad subscribendum iis convincar, rationum enim

prolatarum nervus maxime dubius est, ac incertus, ut ideo exin conclusiones non nisi dubiæ sequi non possint non; Et ne contra intentionem turbem ordinem, rationes has omnes ac singulas perpendere licebit.

§. IX.

Rationum itaque momenta, quæ in antecedentibus a Carpzovio pro stabilienda opinione, quam fovet, proferuntur, in eo consistunt 1) quia referens citatur ad videndum jurari, hinc concludit, citationi eum quoque obtemperare oportere, & si hoc nolit, & potius contumacem se præbeat 2) ejus contumiam operari remissionem juramenti, 3) quia juramentum deferens non aliter victoriam juranti cedere velit, quam si eum jurare viderit & audiverit, hinc 4) conditio ista jurandi habetur pro impleta, quia per actorem non stetit, qui implere debuit, sed magis per reum. Verum enim vero, quod tanti Viri autoritate salva dixerim, haud sequitur, quod omnis cito tatus indistincte sub jactura juris sui comparere debeat, non enim quævis citatio ita comparata est, ut inevitabilem comparendi necessitatem involvat, sed distinguendum erit inter citationem arctatoriam & monitoriam, quippe quas inter maxima omnino intercedit differentia, in priori enim scil. peremptoria, pars ad comparendum, interdum sub præjudicio in ipsa citatione declarato compellitur, quod secus in monitoria est, qua judex aliquem tantummodo de actu vel negotio expediendo reddit certiorem, ad cujus consummationem non quidem præcisa alterius partis præsentia requiritur, sed altera etiam absente potest peragi, & ideo non comparendi licentia ei relinquitur. *I. 19. C. d. test. & auth. sed & si quis &c. MENCK. Theor. & Prax. Lib. 2. tit. 4. §. 7.* Si enim evenit, ut terminus præfigatur, in quo non utraque pars, sed una tantum principiter aliquid expedire necessum habet, tunc & alterius, cuius nulla eaque præcipua in termino est expeditio, præsentia non præcise requiritur, sed monetur tantum a judice, ut proxime munioris, inveniatur ad munitionem, dum haec in lubitu.

lubit, & si velit comparere possit, quæ ipsa citatio ab aliis  
 etiam dicitur notificatio, germanice Gedenc-Zettul. Hac  
 vero ratione invitatum impune emanere posse, ex sequentibus  
 apparebit. Eodem enim modo ad terminum productionis &  
 reproductionis productus & reproductus semper ad videndum  
 jurare & produci testes citatur, & non obstante hac invitatione  
 impune emanere licet, producens vero nihilominus adversa-  
 rior etiam absente ad obedientiam citationi fibi insinuatæ præ-  
 standam, ut nimirum testes producat & juramento obstringi  
 curet, obligatur, nisi probationem quoad testes pro deserta  
 haberi velit, adeo ut nec absentia adversarii ei restitutionis in  
 integrum præbeat causam *Ord. Proc. Sax. Recogn. tit. 20. §.*  
**Wann nun hinnen;** quod itidem in juramento suppletorio  
 ac purgatorio obtinet, namque ibi pars adversa quoque citatur  
 ad videndum jurari, nihilominus tamen ea emanente, juratus  
 juramentum ipse præsens jurare tenetur, nec ob alterius absen-  
 tiā illius præstationem abnuere potest, per expressa verba *Ord.*  
*Proc. Sax. Recogn. tit. 30. §.* **Sobald nun verb.** Hingegen wenn  
 gleich der andre Theil aussen bleibt, ist der Eyd nicht pro præ-  
 stito zu halten, sondern nichts destoweniger würcklich abzule-  
 gen. Ex his itaque sufficienter elucescit, hanc rationem fun-  
 damento destitutam esse, adeo, ut exinde in præsenti propter  
 convenientes cum præcedentibus causas non possit concludi:  
 quia referens citatur ad videndum jurari, ergo emanere ipsi  
 non concedendum sit, potius utroque casu citatus, emanen-  
 do se tantum excludit a data jurantem videndi audiendique li-  
 centia conf. BORCHOLT. d. jurejur. c. 4. n. 7. CVJAC.  
 ad Nov. 90. c. fin. in fin. BARTOL. ad. l. 12. C. de Reb. Cred.  
**§ jurejur. §. bis de præsentibus n. 3.**

### §. X.

Ad alterum Carpzovii fundamentum quod attinet, assi-  
 rens, emanentis contumaciam operari juramenti remissionem,  
 nullum profecto rem accuratius considerans invenio momen-  
 tum,

tum, ex quo contumacia vel remissio ejusdem deduci possit.  
 Contumacia enim nihil aliud est, quam intermissio facti, quod  
 necessario adimplendum erat, ubi vero necessitas faciendi vel  
 omitendi deficit, ibi nec contumacia locum invenire potest,  
 hoc casu autem nulla adest necessitas comparendi, quippe a  
 referente nihil fuerat expectandum, relato actori jurejurando  
 una cum juramento calumniae ab ipso praestando, uti CAR-  
 PZOVIVS ipse citato *Responf.* n. 9. fatetur, & infra pluribus  
 demonstrabitur, Ergo etiam nulla sane adest potest contuma-  
 cia. Nec est, quod quis forte interserat, judici tamen esse obe-  
 diendum, & hanc inobedientiam sufficere ad contumaciam ef-  
 ficiendam. Respondeo concedendo, judici esse obtemperan-  
 dum, causamque sufficientem esse ad contumaciam producen-  
 dam, inobedientiam, sed ea ipsa haud committitur, nisi ali-  
 quid mandatum fuerit, hic vero judex non mandavit, sed tan-  
 tum monuit, liberumque referenti reliquit, an comparere ve-  
 lit, nec ne, quod in antecedentibus jam satis declaratum est. Re-  
 missionem juramenti quod concernit, nec illa hic locum sibi  
 vindicare potest; Fundamenti loco pono, remissionem non  
 posse procedere, nisi per declarationem voluntatis, ast nulla  
 prorsus ex emanatione Referentis remissio extorqueri potest,  
 quippe potius referens dum juramentum sibi delatum deferen-  
 ti retulit expresse mentem suam declaravit, quod nimurum vi-  
 ctoriā adversario aliter cedere constituerit, quani si ab  
 ipso juratum sit, certant sane hic partes inter se de lucro ca-  
 ptando & de damno vitando, ubi semper pro eo, qui de da-  
 mno vitando militat, pronunciandum est l. 12. §. I. ff. d. distract.  
*pignor.* l. 6. §. fin. ff. d. jur. dot. MENOCH. *Consil.* 56. n. 39. *Consil.*  
 144. n. 10. & *Consil.* 268. circa fin. WESENBEC. *Consil.* 50. n. 27.  
 quod & inter duos effectum sortitur privilegiatos, multo magis  
 & in nostro casu idem dicendum erit BARTOL. in Auth. *quas*  
*actiones* n. 3. C. d. SS. Ecclef. BRVNNEM. ad l. II. ff. de minor.  
 n. II. SFORT. ODDUS de Rest. in integr. p. I. qu. 18. art. 4.  
 BRVN-

BRVNNEM. *Qu. ad Wesenbec. tit. d. minor. 25. annor. qu. 24.*  
 Accedit etiam nullam in dubio remissionem juris sui præsumendum esse. *l. 25. pr. ff. d. probat.* JACOB MENOCH. *d. præsumt. lib. 3. præsumt. 112. n. 28.* CARPZ. *Resp. Lib. 5. tit. 7. Resp. 64.* At instat Carpzovius: eo ipso cum referens in termino non comparet, tacite eundem voluntatem suam declarasse, se juraturo juramentum remittere velle *arg. l. 37. ff. de jurejur.* At enim vero ex allegata lege minime illud probari poterit. Loquitur enim Ulpianus in data lege de isto solummodo casu, quando juratus de calunnia, sine præcedente alterius renunciatione vel remissione, non juret, tunc remittenti quasi similis sit, & actio ei deneganda foret, rationem addit: Sibi enim imputet, inquit, qui processit ad delationem jurisjurdandi, nec prius de calunnia juravit, ut sit iste, nimirum qui calumniajuramentum præstare detrectat, remittenti similis per *l. 9. C. d. reb. cred. § jurejur.* GODOFRED. in *Not. ad l. cit. n. 45. consentit MENCK. Programm. 7. volum. disp. adjecto verb. secundo jusjurandum.*

## §. XI.

Nititur tertio Carpzovius in conditione quadam, quæ juramenti delationi inesse, quod nimirum aliter non victoria cederet juranti, quam si alter viderit & audiverit. Conditionem vero hanc Carpzovius ne verbulo quidem probavit, sed sibi potius invenit & fixxit. Omnis enim conditio aut exprefse a partibus adjicitur, aut uti stylo communi loquuntur, tacite inest, sc: Circumstantiæ rei ita comparatæ sunt, ut non nisi positis ponendis effectus sequi possit. Quale exemplum habetur in *l. 21. ff. d. jur. dot.* ubi dicitur: stipulationi dotis tacitam inesse conditionem: si nuptiæ fuerint fecutæ; Quæ ultima tamen species ne quidem proprie conditionis nomine venire potest, non enim actus, cui tacite inest conditio, dicitur conditionalis sed purus *l. 99. § 107. ff. de cond. § demonstr. STRYK. Us. Mod. lib. 18. tit. 1. § 126.* Est enim conditio proprie

prie sic dicta, qualitas actui adjecta vim ejus conferens in casum futurum l. 39. ff. de reb. cred. l. 34. §. 1. ff. de cond. & demonst. & incertum l. 18. ff. de condic̄t. indeb. l. 9. §. 1. ff. d. novat. & ex accidenti tantum pactis & contractibus accedens, quæ non præsumitur, sed a partibus necessario exprimenda est. Quivis vero primo statim intuitu deprehendet in relatione juramenti hanc a CARPZOVIO allegatam conditionem neque ex intentione & adjectione referentis, neque ex dispositione legis adesse; Non ex adjectione partis, quia partes de eadem haud convenerunt, multo minus ex dispositione legis, cum accidentalia ordinarie contractibus non insint, sed per pacta privatorum, quæ legem & formam dant actui, addantur. Cui accedit, quod nemo, qui naturam transactionum paulo accuratius inquisiverit, inficias ire facile poterit, verum esse, quod vulgo dicitur; transactionem strictissimæ esse interpretationis, atque adeo, ut ejus omnia attendi debeant verba, & nullam admittant ad ea extensionem, de quibus partes nunquam cogitabant, quæ omnia ad juramentum ejusque delationem applicari optime queunt, siquidem juramentum species dicitur transactionis, eique per omnia æquiparatur l. 2. ff. d. JUREJUR. OCTAVIAN. CACHER. decis. 92. n. 17. Ecquis enim non videt per juramentum imponi finem liti, unde est, quod juramentum dicitur finienda litis remedium teste DONELL. 24. Comm. c. 2. n. 2. DVAREN. in tit. C. de jurejur. c. 7. quo præstito de causa & veritate ulterius non est disceptandum l. non erit s. §. dato ff. de jurejur. l. adversus 15. ff. de except. NICOL. BOER. decis. 305. n. 2. & 3. ANTON. FABER. in Cod. lib. 4. tit. 1. def. 26. n. 6. Profecto certum est, quam certissimum quod per juramenti delationem adversarium suum quis judicem constitutat. l. 1. in pr. ff. quar. rer. act. non datur. CARPZ. Resp. Jur. El. Lib. 3. tit. 5. Resp. 40. n. 3. Quando itaque alteri ab altero juramentum refertur, non negamus huic relationi, intuitu saltim relati inesse quidem conditionem, sc. remittit

mittit ille juramentum hoc sub modo, si vere & actu a te juratum fuerit, quæ quidem conditio ita comparata est, ut speciatim adimplenda sit, ast non addita sunt verba: *in mea præsentia si juraveris*, lis sit decisa, nec ulla vola vel vestigium apparet, ex quo elici ea ipsa possint, Ergo & sine autoritate legis & sine consensu referentis, quippe de cuius jam agitur præjudicio, ei invito conditio aliqua obtrudi nequit. Quid? quod ex ipsis Carpzovii verbis quando *l.c. n. 10.* voce *videtur* utitur, haud difficulter infertur, quam dubia, quamque inconveniens hæc sit sententia.

### §. XII.

Quarta a Carpzovio adducta ratio, quod nimirum conditio habeatur pro impleta, quia per actorem non stetit, qui implere debuit, sed magis per reum, nulla indiget refutatione, propter maximam quam habet cum antecedentibus connexionem, ubi jam satis probatum est, hanc conditionem in relatione juramenti a parte rei s. referentis haud adesse. Cum itaque accessoria sequantur suum principale, hoc vero loco principale, scilicet conditio, non entibus annumeretur, hinc ut ea, quæ ipi a Carpzovio tribuitur affectio, cuius ex tenore habenda est pro impleta, nulla plane sit, tam verum est quam quod verissimum. Nec favet suæ sententiæ *l. 24. § 81. ff. de condit. § demonstr.* in quibus adesse conditionem præsupponitur, quod tamen ipsum est petitio principii.

### §. XIII.

Rationibus Carpzovii hic usque pensitatis ad Nicolai opinionem æque vacillantem me converto, qui præter prolata vel id propter victoriam sibi promittit, quod nimirum 1) necessario aliquis adesse debeat, qui juramentum accipiat, adeo, ut si hic referens emanferit, juramentum relatum pro præstito s. tacite remisso habeatur. & quia 2) utriusque juramenti præstiti ac pro præstito habitu idem esset effectus, non dubitavit hanc confidenter adstruere sententiam. Quam ipsam probare studet textu ex-

presso Constitutionis Electoralis & Ordinationis, Proc. Sax. Ast  
 enim vero allegati textus probanda minime probant. Nam ad  
 citatam Constitutionem quod attinet, illa juramentirelati nullam  
 plane mentionem facit, sed tantum de eo casu loquitur, quan-  
 do delatus deferentem ad jurandum de calumnia citari curavit,  
 deferens vero vel inobedienter emansit, vel juramentum calu-  
 minia præstare detrectavit, & tunc disponit, quod juramentum  
 delatum habeatur pro præstito, rationemque vel in inobedientia,  
 vel in detractione juramenti calumnia, minime autem in sim-  
 pli defecitu personæ, quæ juramentum acceptare debeat, po-  
 nit, uti Nicolai, falso tamen, asserit, verba sunt: Wenn aber der,  
 so einen deferirten Eyd schwehren soll, den andern, welcher den  
 fürgehenden Eyd vor Gefährde zu leisten schuldig, citiren  
 liesse und derselbe würde ungehorsamlich nicht erscheinen, oder  
 thäte sich des Eydes vor Gefährde weigern, so soll der deferirte  
 Eyd vor geschworen und geleistet geachtet, und darauf also er-  
 kannt und gesprochen werden. Multo minus præsidium ipsi af-  
 fert locus alter allegatus ex Ord. Proc. Sax., cum ibi ipfissima  
 Constitutionis verba repetantur, & accuratius explicentur, ubi  
 dicitur: Würde auch der Diferent auf den Fall, da solcher gebüh-  
 rend von ihm gefordert, und er hierzu vorgeladen worden (quæ  
 verba solcher und hierzu loquuntur de juramento calumnia) nicht  
 erscheinen, oder sich des Eydes vor Gefährde ohne erhebliche Ur-  
 sache weigern, soll der deferirte Eyd vor geleistet geachtet, und da-  
 rauß also erkannt werden. Ex his allegatis textibus satis su-  
 perque elucescit, sermonem tantum esse de absentia illius, qui  
 de calumnia jurare jussus contumax emanet, vel jurare non vult.  
 Nec sine ratione hanc poenam luit, sua enim culpa hoc damnum  
 sentit, quod sentire non videtur, cum factum, ad quod præstan-  
 dum omni jure legitimatus, legitimeque citatus est, non præstat,  
 & ita emansione sua injustitiam causæ abunde prodit, quod tamen  
 ad referentem indubitate applicari haud potest. Nullus enim  
 adest ipsi expediendus actus, sed facultas tantummodo eidem  
 conce-

conceditur, ejusque libero arbitrio relinquitur, an comparere & adversarium tam juramentum calumniæ quam principale relatū præstantem videre ac audire velit, an non. Corruente igitur jam principali propositione, quasi non satis probata, corruit etiam conclusio inde deducta, quod juramentum debeat haberi pro præstito, s. tacite remisso. *Conf. MENCK. Programm. cit. verb. Verum istud argumentum &c.*

## §. XIV.

Ad alterum quod attinet momentum a paritate rationis præstiti ac pro præstito habitu juramenti, desumitum, nullam plane utriusque invenio cohærentiam & sequelam, prius enim nemo negabit, quod idem sit præstitum ac remissum, uti & patet ex l. 9. §. 1. ff. *de jurejur.* idque quamvis absenti & ignorantis per epistolam remissum sit juramentum BERG. *Oecon. Jur. Lib. 4. tit. 25. §. 10. not. 6.* Juramento enim præstito de causa & veritate ulterius haud queritur, quasi satisprobatum sit jurejurando l. non erit 5. §. 2. ff. *de jurejur. l. 11. §. 3. l. 26. l. 28. §. ult. ff. Eod. tit. l. aduersus. 15. ff. d. except.* CASTRENS. in l. si duo patroni §. idem Julianus ibique J A S O N. n. 6. ff. *de jurejur.* NICOL. BOER. *decis. 305. n. 2. & 3.* adeoque causa ita decisa ob probationes contrarias non retractatur l. 1. C. d. reb. cred. & *jurejur.* nec contra præstitum juramentum probationes in contrarium admittuntur. *Const. El. 15. ubi DAN. MOLLER. n. 3. & seqq. ANDR. RAVCHBAR. part. 2. Quæst. 3. n. 32.* actio prorsus extinguitur, ita ut nec directa, nec utilis superstes maneat. *l. qui jurasse 26. §. ult. ff. d. jurejur. l. grege 13. §. etiam ff. de pignor. l. sed si possessori 11. in pr. & §. 1. ff. jurejur.* & si actor reo deferente juravit, parit hic actus actionem rei judicatæ, si vero reus actore deferente juravit, exceptionem per quam proponitur juramento obligacionem extinctam esse l. 9. pr. & §. 1. l. 5. §. 2. l. 11. §. 1. 2. 3. l. 25. l. 29. l. 7. ff. d. *jurejur.* Idem quoque de remisso erit dicendum, quippe cuius, eadem vis est l. 9. §. 1. ff. *de jurejur.* l. 1. & C. de R. C. illa namque pars, in cuius favorem jurandum est, promissionem



mittere potest ex C. 1. Extr. de Jurejur. Gloss. ibid. in verb. relata. PANORM. ibid. n. 4. FELIN. n. 2. C. 2. de Sponsal. GAIL. lib. 2. d. pac. publ. C. 4. n. 13. § 14. Ast enim vero in nostro casu petitio principii in eo consistit, an juramentum remissum adsit, nam sequela Nicolai profecto claudicans dici meretur, quis enim concluderet: quia remissi & praestiti juramenti idem est effectus, & haec duo aequiparantur: Ergo aliquis adesse debet, qui juramentum in termino accepter, alias habetur pro praestito. Nendum reticeam, quod verbis hisce a Nicolao prolati accuratius cum subsequentibus consideratis, sibi ipse non satis constet, imo contradictione in ipsis ejusdem verbis inveniatur, cum supra dicat; Emanctionem partis operari remissionem tacitam & infra afferat, operari remissionem expressam, quae toto celo tamen inter se differunt. Remissio quippe expressa ex remittentis verbis vel factis patescere debet, tacita vero presumtive tantum ex conjecturis concluditur.

### §. XV.

Ex his præmissis luce meridiana clarius patescit, rationes a Carpzovio & Nicolao, quæ pro stabilienda utriusque opinione afferuntur, non magni esse momenti, nec ita comparatas, ut casta horum sequi, decernere queam, siquidem partim aliquid, quod relationi juramenti non inest, presupponunt, partim ad eam non quadrant, dum ab aliis ad hanc non rite sit applicatio; partim quoad textus allegatos, illi, id quod confirmare debebant, haud confirmant, nec silentio prætereundum erit, Carpzovium sibi ipsi contrariari, quippe qui omnia paulo ante adducta argumenta alio loco *Def. 28. Conf. El. 12. P. 1.* ad illum casum, si de calumnia juraturus in termino emanferit, vel malitiajuramentum praestare nolle, iisdem verbis accommodat, ulteriusque probat. Qua in re tamen ipsum veritati propius accessisse ingenue existimo. Cum vero utrique casus probe ab invicem separandi sint, hinc ab uno ad alterum colligere velle, cunctis bonæ ratiocinationis regulis foret contrarium.

### §. XVI.

## §. XVI.

Alteram classem constituunt hi, quorum objectiones obiter tantum & quasi per transennam adducit KRAVSIVS Tract. Proc. Judiciar. Lib. 1. C. 4. S. 4. §. 7., qui questionem nostram distinguendo optime decidi posse autumant, qui, licet æque ut præcedentes præsentiam referentis in termino juratorio maxime urgeant, libero tamen ejus relinquunt arbitrio, an in persona, an per procuratorem comparere, vel etiam in scriptis, quod sui officii est, expedire velit, & hinc concludere videntur, si neque in persona adfuerit, neque per procuratorem comparuerit, neque scriptis intentionem suam declaraverit referens, tunc juramentum pro præstito haberi, si vero ad minimum in scriptis voluntatis suæ exposuerit sententiam, aut procurator adfuerit, tunc nihilominus alteram partem, ut utraque juramenta actu præstet, obligatam manere, quam certissime asseverant.

## §. XVII.

Ast enim vero & horum opinio non extra omne dubium videtur posita, licet enim hi medium videantur elegisse viam, ubi alias tutissimum ire dicitur, attamen cum prioribus per omnia fere faciunt, nec ab iisdem, nisi in eo recedunt, quod comparitionem in propria persona non tam necessario urgeant, sed sufficere putent, præsentiam procuratoris, vel si schedula judicem de sua intentione certiorem reddat; minime ignorantibus, nullum adesse factum a referente expediendum. Neutrò vero horum observato, juramentum pro præstito haberi contendunt, quam sententiam adstruere videntur abrepti forte ratione communi, quod referens citationi ad videndum jurari, debeat obtemperare, sed cum ipsi consequentiam sufficienter non intelligant, in tantum a prioribus dissentient, in quantum sententiam eorum iniquam deprehendunt. Sed in antecedentibus §. præcipue q. ad nauseam usque rationis hujus falsitas demonstrata est, hinc brevitatis studio eo lecturos ablego, & ad reliqua me converto. Urgeri posset hoc loco maxime, com-

partitionem in totum & absolute remitti non posse, quia citatio ad videndum jurari de essentiali forma sit juramenti, & sub præjudicio juranti injuncta, quam si neglexerit, juramentum habeatur pro deserto per *Conf. El. 12. P. I.* & *Decis. El. 18.* ejusque verba: *Dass wenn einer die vorgeschriebene formam impetranda citationis nicht inacht nimmt, er sich an der Eydes-Leistung versäumt habe,* & *Ord. Proc. Sax. tit. 18.* ubi præstatio juramenti reo injungitur annexo præcepto de impecranda ad hoc citatione in §. *Wann nun also ic. verb: Dass sein Gegentheil hiezu in Sächsischer Frist vorgesaden werde, in quam sententiam & a Facult. Jurid. Lips. Mens. Febr. 1692. ad Consult. Senatus Friburgens. pronunciatum esse refert.* WILDVOGEL *Dissert. d. Relat. Juram.* & CARPZ. *lib. 3. tit. 5. Resp. 46.* a Senatu Appell. ita judicatum esse meminit, id quod sine ratione non possit esse constitutum, nisi velimus concedere actum esse frustaneum, si alteri impune emanere licet, & legem esse inquam, quæ alicui sub præjudicio maximo aliquid injungeret, quod tamen ab altera parte pro lubitu vel omitti vel adimpleri posset.

### §. XVIII.

Verum enim vero, ut ad propositionem principalem deviniam, ex qua contraria mihi sententia deducenda esse videatur, ita sane comparata est, ut ipsa variis sit obnoxia dubitationibus. Sunt enim, qui adhuc disceptant, an supra memorata citatio eo sine fiat, ut juramentum calumnia præstetur, an potius ut contraria pars alterum jurare videat. Constat enim permultos hanc citationis necessitatem eum ad casum, ubi de calunnia jurandum est, restringere vid. MATTH. BERLICH. *p. 1. Concl. 30. n. 39.* CARPZ. *Lib. Resp. 3. tit. 5. Resp. 51.* BARTH. *Hodog. forens. cap. 1. §. 56. lit. m. p. 271.* Carpzovius vero eandem ad utrumque & ad præstationem juramenti calumnia, & ad videndum jurari de causa principali extendit. *Lib. 3. tit. 5. Resp. 46.* & *P. I. Conf. 12. def. 8.* id quod etiam affirmat BORNIVS in *dissert. d. juram. judic. cap. V. §. 4.* MENCK. *Disp. IX.*

*IX. d. juram. §. 17.* Ulterius deprehendo hanc contrasentientium propositionem fundamentalem variis adhuc limitationibus reddi dubiam, quarum varias recenset CARPZ. *allegat.* loc. quo & referri meretur, quod juraturo neglectus formæ nocere non queat, si judex partem prævenerit, uti contra Scabin. Lips. Facult. Jurid. Viteberg. anno 1700. pronuntiavit teste BERGERO in *Oecon. Jur. Lib. 4. tit. 25. §. 9. not. 3.* idque eo magis, cum in *Ord. Proc. Sax. Recogn. tit. 18. §. 7. verb. oder auch* ex officio &c. judici injunctum terminum ex officio ad jurandum quod constituere debeat, ne quideni urgentibus partibus, adeoque necessitas extrahendæ citationis cadit in casum, & tunc effectus non rite formatæ citationis ad judicem potius, quam partem redundare debet. Ex his omnibus, quamvis singula libentissime concedam, nulla tamen procedit conclusio contra referentem, ut necessario comparere debeat, si quidem id tantum juraturo tanquam inseparabile requisitum est præscriptum, strictissime observandum, quod & ipsum in favorem alterius partis introductum, ut eo minus dubium ei remanere possit, alterum jurasse, cum vero quisque juri pro se introducto sine dubio cum effectu, quando neque in alterius commodum vel incommodum vergit, renunciare possit, vel expresse, ubi declarat, se uti nolle hoc juris favore, vel tacite, si ubi potest, eodem uti non vult. Idem & in nostro casu de referente sententiendum esse, nemo ibit inficias, patescit scilicet ex his, citationem quidem esse de forma essentiali, intuitu bjurantis; non vero comparitionem intuitu alterius. Et licet primo intuitu leges videantur generales, ob verba in *O. P. S. §.* Wenn nun also einen ein Eyd auferlegt, er sey ihm gleich deferrirt oder referirt, ut exinde concludi possit, sermonem esse de delato ejusque comparitione, s. juramentum ei delatum, s. ab eo relatum sit, ut ideo utroque in casu comparere necesse habeat, sequentia tamen satis clare demonstrant, allegatum paragraphum per totum de juraturo, s. ille sit delatus, s. relatus, loqui,

qui, iste enim non vero alter post rem judicatam, si terminum constitui expertierit, in eo jurare necesse habet, hinc si non comparet, ulterius Serenissimus paragrapho allegato disposuit: Da Er juratus aber in termino ohne rechtmäßige Verhinderung außenbliebe oder vorherrschende formam impetranda citationis nicht in acht nehme, soll Er sich daran versäumt haben. Nec est hæc poena sine ratione constituta, cum enim hæc juraturo norma præscripta sit, eandem haud negligere debet, neglecta vero si fuerit, sua culpa damnum sentit, id quod de referente dici nequit, eidem enim nuspiciam comparatio expressis injuncta verbis, sed ejus libero relicta est arbitrio, ut supra satis superque demonstratum dedi.

### §. XIX.

Tandem tertio inveniuntur, qui prioribus directo contrariantur, ubi sc. sine omni limitatione defendant, quod, licet referens non compareat, relatus tamen hoc non obstante utrumque juramentum, & calumniæ & relatum actu præstare debeat, nisi velit juramentum haberi pro deserto; Et ideo, neque ut in propria persona, vel per procuratorem, vel scriptis compareat, præcise necessitatis esse autemant. Ita sentit *Illustr. GRIBNERVS in Princip. Proc. Judic. Lib. I. Cap. 4. Sect. 4. §. 5.* & *KRAVSIUS Tract. Proc. Jud. L. I. C. 4. S. 4. §. 7.* Et cum mihi hæc posterior præ reliquis æquitati & juribus consentanea videatur sententia, Tantorum Virorum sequi castra constitui, rationum pondere motus, quarum præcipuas brevissimis tantum apponere licebit. Primo enim nihil deprehendo, quid referenti in termino juratorio expedientum sit, nisi actus supponatur superfluus, in quod *Illustr. GRIBNERVS & KRAVSE* omnino consentiunt, quid? quod, dissentiens ipse CARPZOVIVS hoc minime abnuere potest, sed *Lib. 3. tit. 5. Resp. 51. n. 9.* libere confitetur, nihil expectandum esse a referente, relato actori jurejurando una cum juramento calumniæ. Fac enim, compareat, ut dissentientes volunt, vel in persona, vel

ver

per procuratorem, vel per schedulam, quid ipsi expediendum?  
 Nihil erit aliud, quam ut declareret, se expectaturum, an & quo-  
 modo iuratus juraverit, insimulque a judice petat, ut eundem  
 de perjurio vitando admonere velif. Prius est superfluum, &  
 non opus habet, ut ea ex ratione ipsi termino in persona in-  
 terfit, vel procuratorem mittat, nam impensa tantum haud ne-  
 cessaria perduntur; id quod etiam ex registratura desuper con-  
 fecta ipse cognoscere potest, an juraverit vel non. Posterius  
 etiam erit supervacaneum, cum hoc iurandum a legibus ju-  
 dici ejusque officio injunctum sit, & cum admonere suarum  
 non sit partium, non admittitur tanquam officio judicis se im-  
 mixturus. Accedit, quod & hoc ex registratura perspicere  
 optime possit, an judex in admonendo officio suo satisfecerit,  
 vel non, cui tanquam a persona jurata confecta plena erit ha-  
 benda fides. Huc usque nullum deprehenditur ergo factum  
 a referente expediendum.

## §. XX.

Sed instas, evenit interdum imo plerumque, quod in ter-  
 mino juratorio ulterius, & de novo tentetur amicabilis com-  
 positio, ubi judex ad evitanda juramenta interdum partes inter  
 item dirimere tentat, ut hoc modo lis periculosa & sumptuosa,  
 transactione quadam utriusque parti proficia possit decidi.  
 Nunc vero amicabilis compositionis effectus non feliori suc-  
 cesso promovetur, quam si partes in propria adfuerint perso-  
 na, qua etiam ex ratione Serenissimus in *Ord. Proc. Sax. Re-*  
*cogn. tit. I. §. 1. verb.* Daß zu mehrer Besförderung, præcisam  
 partibus injunxit comparitionem sub pena 5. thal. Cum ita-  
 que omnis navanda est opera, ut lites abbrevientur, quæ etiam  
 Serenissimi tota Ordinatione Proc. & præcipue *Tit. I. §. 2. verb.*  
 möglichsten Fleiß dahin anzuwenden hat ic. intentio fuit, non  
 injustum erit referentem adigere, ut in termino juratorio ob  
 item per transactionem fortasse finiendam compareat. Haud  
 raro enim fit, ut interposita judicis adhortatione, unum vel al-

D

taum

terum momentum, vel etiam totum remittatur juramentum. Sed respondere licebit: Concedo, sapissime accidere, quod in termino demum juratorio de novo partes ad transigendum adhortentur, concedo etiam, judices obligatos esse ad movendum omnem lapidem, ut lites abbrevientur, ad quod obtinendum amicabilis compositio optimum dici posset remedium. Non enim ad juramenta prosciendum erit, ne iis abutamur. Ast circa haec omnia monendum erit, quod siant extraordinarie, sine speciali legis dispositione, & ex libero judicis arbitrio. Nusquam enim judici invenitur injunctum, ut in hoc termino de novo tentare debeat amicabilem compositionem, sufficit, semel, & in primo termino illam esse adhibitat, ubi tunc partibus renuentibus via juris semel aperta, relinquendum erit, ut iustitiam causæ suæ ad finem usque perducant, quod & approbat Serenissimus Saxoniæ Ord. Proc. Sax. Rec. tit. 1. §. 6. verb. Niemand zur Güte und Vergleich zu zwingen. Et licet per omnia fere iiscum faciam, qui institutum hoc judicis laudibus extollunt maximis, hoc tamen reticere nequeo, exinde minime sequi, quod ideo referens strictissime comparere debeat, cum ad hoc non sit citatus, ut transigere velit, sed hoc irregulariter fieri soleat. Contra ea maxime iniquum & injustum es-  
tet, si quis propter ejusmodi factum, ad quod neque rite citatus, neque ex legis speciali dispositione ad illius præstationem  
huc usque obligatus est, jure suo statim periclitari debeat. Ul-  
teriorius non obstat, quod partibus adhuc in termino formula ju-  
ramenti communicetur, ut si quid contra illam monendum ha-  
beant, eoram actis declarare queant. Respondetur enim, hoc  
non de necessitate est, sed actuario judicique illorumque habi-  
litali relinquendum erit, siquidem nihil verbis detrahere, nihil  
addere licebit, sed potius ex ipsis verbis, super quibus lis con-  
testata fuit ea ipsa concipi debet, potius ergo, si actuarius cul-  
pa sua vitium causæ afferat, ut ipse etiam damnum resarciat, ne-  
cessere est, non vero alteri imputari poterit parti, quod non com-

parue-

paruerit, & actuarii formulam vitiose conceptam correxerit, imo tunc poena, ut juramentum habeatur pro præstito, non est adæquata. Accedit, quod formula juramenti plerumque partibus ante terminum communicetur, & communicari debeat, ubi tunc domi, & per longius temporis spatium optime deliberare, & si quæ monenda habeant, scriptis ad judicem, si non pro lubitu usque ad terminum reservare velint, referre possunt.

## §. XXI.

Secundo adminiculatur huic sententiæ, quod omni tempore, quando juramentum pro præstito haberi debet, hoc fiat loco poenæ. Omnis vero poena semper presupponit malitiam, contumaciam, & uti LEYSERVUS in *Diss. de morte vim jurisjuriandi habente*, inquit, requiritur, ut præstatio juramenti, non mero casu, sed facto quodam adversarii, e.g. tergiversatione in jurando de calumnia, vel protestatione illius impedita fuerit, ut adeo culpa aliqua adversario imputari possit, consentit WILDVOGEL. *diss. de relat. juram. §. 9.* & CARPZ. *L. I. resp. 12. n. 16.* MEV. *p. 4. Decis. 262.* RICHTER. *Decis. Jur. P. I. Dec. 62. n. 28.* Eo ipso enim, si adversarius de calumnia jurare noluerit, vel ad hoc citatus non comparuerit, temeritatem ac malitiam suam prodit, quare jussus jurare tum juramenti præstare haud tenebitur, sed hoc pro præstito habendum, atque pro eo pronunciandum est. *Conf. El. 12. §. ult. verb. Und derselbe wird ic.* Ex ratione non contemnda, siquidem remittere videtur juramentum, qui de calumnia jurare recusat *l. si non fuerit 37. ff. d. jurejur.* Et habetur conditio pro impleta, quoties non stat per eum, qui implere debuit, sed magis per adversarium, *l. 81. ff. d. cond. & dem.* DAN. MOLLER. *ad dict. Conf. El. 12. n. 4.* Quæ omnia tamen ad referentem minime quadrant, qui nihil deliquit, nihil quod ei præstandum erat, omisit, ut supra fusi demonstravi, hinc & nulla in eum statui potest poena, sed admodum rigorosum esset, & bene hoc jus summa appellari posset injuria, si siue malitia, sine culpa, ob solum non audivisse jactura juris sui puniretur.

§. XXII. *atot iinenß 3. mouto  
Tertio hanc sententiam juribus maxime consentaneam  
esse Saxonis, vel inde probatum dari potest, quod Serenissi-  
mus Elector Saxoniae de juramento suppletorio idem consti-  
tuit, & statuit *Ord. Proc. Sax. Recognit. 30. §.* *Gobald* nunc in  
verbis expressis: Da nun derjenige, welcher den Eyd abschwe-  
ren soll, in diesen Termino nicht erschiene, oder sich solchen zu lei-  
sten verwegert, ist der Eyd versäumet, hingegen wenn gleich der  
andere Theil außen bleibt, nicht pro præstito zu halten, son-  
dem nichts destoweniger wyrcklich abzulegen. Quod vero Se-  
renissimus in uno voluit passu, id quoque in altero approbat,  
ubi paritas rationis deprehenditur, cum enim non omnes ca-  
sus legibus eomprehendi possint, urgente paritate rationis ex alia  
lege, ut decidantur, necesse est, uti vero in suppletorio altera pars  
nihil habet expediendum, ita & in nostro invenitur referente,  
hinc tuto ad eum argumentari licebit.*

## §. XXIII.

Opponunt quidem dissentientes antea dictis, concedendo,  
quod hæc omnia bene se habeant circa juramentum suppletori-  
uni & purgatorium, minime vero naturæ relati juramenti con-  
veniant, propter maximam, quæ inter utrumque intercedit, dif-  
ferentiam, quam vel inde demonstrare contendunt, quod hoc  
loco parti, ibi vero judici jurettir. vid. WILDVOGEL. *Dissert.*  
*d. relat. juram. tb. 14. verb.* *cum juicjurandum illud in judge exi-*  
*gatur, nec juramentum calumpnia bac in parte desideretur &c.*  
ut ideo ab illo ad hoc non valeat argumentum, potius controver-  
sia a paritate deferentis & referentis, arguento ducto, facillime  
decidi possit. Ast vero nondum manus porrigendi animus  
est, nec obstat causa desperata. Primo quidem largior, non  
deesse certo respectu differentiam inter utrumque juramentum;  
ita enim differunt ratione personæ deferentis, prius enim defert  
judex, posterius ipsa pars litigans, & quæ sunt alia, sed hoc loco  
inquirendum erit in formam prestationis juramenti utriusque,

quippe

quippe de qua in loco jam prolato solummodo sermo fuit, id quod etiam ex allegato, ubi Serenissimus LLator ipse ad tit. 18. lectorem ablegat, ejusque verba fere per omnia repetit, satis superque adstruitur. Hæc forma ergo utrisque communis est, utroque enim loco obligatio cessat, utroque loco judici injungitur aut ad instantiam partis, aut ex officio terminum ad jurandum constituere, ad illumque partes citare, hinc utroque loco partes citantur uti in suppletorio una ad jurandum, altera ad videndum jurari, ita in relato juramento relatus ad jurandum, referens ad videndum, in delato utraque ad jurandum & videndum invitatur, utroque etiam loco principaliter ad personam jurantem respicitur tit. 18. §. 7. verb. Würde einer, oder der andre de me entweder der Eyd vor Gefahrde, oder den Haupt-Eyd, oder beyde zugleich zu schwehren, auferleget, nicht erscheinen, oder nicht wahrlich schwehren, hoc loco nullus fit respectus, nullaque illius, cui nihil praestandum est, sed solummodo ad videndum & audiendum citatur, fit mentio, neque peina in illius emanctionem constituitur, ita quoque loco altero tit. 30. §. 2. sanctetur, verb. Da nun derjenige, welcher den Eyd abschwehren soll, nicht erschiene, oder sich zu leisten verweigerte, imo hoc loco antecedentia clariora redditur, ubi dicitur: Wenn gleich der andre Theil aussen bliebe ic. ut ideo nullum remanere possit dubium, quo minus optimè de nostro casu ex tit. alleg. juncto tit. 18. cit. loc. peti possit decisio.

## g. XXIV.

Ad alterum, quod attinet, ubi contra meam sententiam a paritate deferentis & referentis concludi posse videtur: Eanti-  
dem esse conditionem deferentis & referentis, imo referentem per relationem fieri deferentem, uti itaque deferente emanente juramentum pro praestito haberetur Ord. Proc. Sax. tit. 18. §. 6. in fin. L. R. art. II. lib. 2. Conf. El. 12. P. I. ita etiam pro praestito esset habendum, si referens emanet. Ast enim vero nego ac pernego paritatem de- & referentis, potius maximam

D 3

adesse



adesse inter eos differentiam contendō, hoc solummodo spectato, quod deferens de calumnia jurare teneatur, minime vero referens, ea etiam ex ratione, si deferens contumaciter emanſerit, quia tunc se de calumnia jurare nolle satis abunde prodit, juramentum principale pro praefito habetur, & recte, id quod tamen ad referentem male applicatur, quippe cuius emanſio non potest dici ex contumacia proficisci, quas ifcaſam suam non sat justam esse arbitretur, non enim ei de calumnia jurare necessum est, uti superioribus uberrime demonstratum fuit. Deinde id per rei naturam est impossibile, ut quis per relationem fieri possit deferens, cum delatio a deferente loco probationis ſuscipiatur, quaꝝ tamen per ſolam delationem non in alteram transfertur partem, ſed dela-  
tus eſt & manet iſ, contra quem probatio ſuscipitur, ſub vocabulo enim probationis continetur juramentum, quoties probatio lege imperatur. I. 25. §. 3. ff. d. prob. BERGER. Oecon. Jur. lib. 4. tit. 25. §. 1. n. 1. & a juramento ad probationem tuto argumentari licet, ſiquidem & illius species dicitur. I. admonendi 31. ff. 5. I. 11. §. 3. ff. d. jurej. ANDR. RAVCHB. part. 1. quæſt. 9. n. 24. WESENB. part. 1. Conf. 36. n. 37. Ad relationem vero quod attinet, nemo eadem uti potest, niſi juramentum jam ſit dela-  
tum, id quod ex ipſo patescit verbo, ſemper enim particula re-  
actum, qui præceſſit, requirit.

### §. XXV.

Nec pro diſſentientibus allegari potest art. II. Lib. 2. L. R. in verbis: Ist aber der Mann bereit zu leisten seinen Eyd den er gelobt hat zu rechter Zeit, und will ihn jener nicht annehmen, oder ob er nicht da ist, da man den Eyd thun soll, des Eydes foll dieser ledig ſeyn, und der Schuld, da er den Eyd vor gelobte, ob er des Gezeugen hat, daß er ihn leisten wolt. Cujus verba, cum admodum generalem involvant diſpositionem, adſtruere viden-  
tur, quod altera pars adesse debeat ſine diſtinctione, an juramen-  
tum tantum delatum, an iterum relatum fuerit; uti vero nullo  
tempore verbis tantum legiſ inhaerendum, ſed ſemper intentio

& ra-

& ratio ejus inspicienda, alias enim legibus, quod contra æquitatem impingerent, obtruderetur, ita & hoc loco consequenti bus cum antecedentibus paululum comparatis; ex eis haud obscure adstruitur, datum articulum tantum de deferente & juramento delato, minimie referente & juramento relato intelligendum esse, quod vel ex verbis apparet initialibus: *Wer Eyde gelobet für Schulden ic. & sequentibus: Des Eydes soll dieser ledig seyn, und der Schuld, da er den Eyd vorgelebte, hoc & clarius redditum versione latina.* Si Reus paratus sit ad jurandum tempore & loco statuto, & Actor respuerit, aut præsens non fuerit, Reus liber est a sacramento & debito &c. vid. ZOBELIVM ad alleg. art. Lib. 2. Non minus & Glossa ibidem probat ad verba: *Ist der Mann bereit ic. Diz ist gleich und billig, dann muß der Antworter, ob er nicht vorkommt, sein Geld verliehren, billig verleurt der Kläger gleicherweise auch seine Klage oder Anforderung wieder ihn, denn des Klägers und Beklagtens Recht soll gleich seyn.* In hoc mecum sentit LVD. MENCKEN. Disp. LX. d. jurament. eorumque delatione & relatione tit. 18. §. 27. & Program. 7. volum. Disp. adjecto p. 895. Cum vero supra pluribus demonstratum maximam dari differentiam inter deferentem & referentem, quippe quod priori præstatio incumbat singularis juramenti sc. calumnia, qua in referente deficit, nulla jam valebit ab uno ad alterum conclusio.

### S. XXVI.

Insuper brevissimis tantum, quia & pagellæ huic specimi ni destinatae, præter opinionem iam repletæ, monendum duxi, in decisione hujus questionis accurate attendendum esse, an totum juramentum, delatum quod erat, relatum fuerit, vel ejus tantum certa momenta. Libero enim relictum est arbitrio delati, jusjurandum vel totum, vel pro parte acceptare, aut conscientiam probationibus defendere, pro parte vero jurisjurandi relationem suscipere, si modo facta sint separabilia & circumstantiae, e. g. notitia delati facti, hanc electionem non prohibeant

Q K III k 3662 x 2374702  
B2

beant MARTIN. ad O. P. S. tit. 18. §. 8. n. 78. ANT. FAB. in  
C. l. 4. t. 1. d. 19. n. 11. seqq. Posteriori itaque casu, certo sc. passu  
actori tantum relato, utroque sine dubio partes in termino com-  
parere necessum habent, deferens ut de calunnia & de quo eire-  
latum est juramentum, altera pars ut reliqua delati & acceptati  
juramenti capita juramento suo declinet. Neutro ergo illarum  
jam emanere licebit, cum utriusque aliquid praestandum adhuc re-  
stet, quod speciatim adimplendum est. Deinde Coronidis loco  
addo, quod, licet tota in dissertatione, dictum dantum fuerit de  
eo casu, si reus actori retulerit juramentum, cum hoc factum sit,  
ne variatione casuum, Lectori res obscurior, sine intentione  
mea reddatur, jam non pratermittam, hoc omne & ad illum ca-  
sum, ubi actor sibi a reo delatum juramentum ei iterum retulerit,  
bene applicari posse, ex notissima illa juris regula. 41. ff. d. R. J.  
fundata, quod in his actor & reus paris astimentur conditionis.

§. XXVII.

Ex his deductis, vel iis etiam, qui primis tantum labris ju-  
ris prudentiam degustarunt, facili negotio patescet, hanc, quam  
ultimo recensui, opinionem, juribus non solum sed & aequitati  
præ cæteris magis esse conformem consentaneamque, ubi tamen  
negari haut potest, contrariam huic sententiam, huc usque usu-  
fori receptam fuisse de quo videri potest RIVIN. Enunc. 59.  
ad tit. 18. O. P. S. nec non WERNHER. Obs. select. Vol. I. P. II.  
Obs. 450. n. 2. MENCK. in Theor. & Prax. tit. 2. Lib. XII. §. 40.  
ibique allegatum Enunciatum Facult. Jur. Lips. Verum enim  
vero optandum foret, ut Serenissimus LLator, aequitatis genui-  
na certissimus felicissimusque haec tenus Restaurator, hanc rigo-  
rosam observantiam, sufficienti fundamento haud satis mu-  
nitam, nova quadem & singulari decisione in me-  
lius corrigeret.

• ( o ) •



J. M. II, 351.  
f. 68, 12.

DISSERTATIO JVRIDICA  
DE  
REFERENTE  
**JVRAMENTVM**  
**IN TERMINO JVRATORIO**  
**NON COMPARENTE**

QVAM  
CONSENSV  
ILLVSTRIS JCTORVM ORDINIS  
IN  
ACADEMIA LIPSIENSI  
PRAESIDE  
**D. GEORG. ANDR. JOACHIMO**  
D. XXX. JVN. M DCC XXIX.  
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI  
SVBMITTIT  
AVTOR ET RESPONDENS  
**FRIDERICVS Gottlieb RICHTERVS**  
FREYB. MISN.

LIPSIAE  
LITERIS TITIANIS.

II k  
3662